Incipit prologus domini Guilhelmi abbatis sancti Theoderici in vita sancti Bernardi Clarevallensis abbatis

Scripturus vitam servi tui ad honorem nominis tui, prout dederis, domine deus, ipsius per quem ecclesiam nostri temporis in antiquum apostolice gratie et virtutis decus voluisti reflorere, eum invoco adiutorem, quem iam olim habeo intercessorem ad amorem tuum. Quis enim de amore tuo quantulumcumque spiraculum intus habens, et videns testimonium glorie et honoris tui tam preclarum et tam fidele temporibus nostris mundo insolitum resplenduisse, non agat et satagat, non det operam quantumcumque potuerit, ne lumen a te accensum quempiam lateat, sed quantum humano fieri stilo potest, quod melius ipse tu per virtutem operum facis, et manifestatum et exaltatum luceat omnibus qui sunt in domo tua. Unde cum ego iam olim vellem, prout possem, qualecumque ministerium agere vocis mee, seu verecundia prohibitus sum usque ad hunc; modo quidem super me indicans esse dignitatem materie, et dignioribus opificibus reservandam; vel etiam pro obmittendis que suppeteret amplius hoc ipso pretermittens deliberans actitandum, cum iam homo non gravaretur laudibus suis; et tutius id fieret a conturbatione hominum, et contradictione linguarum. At ille ingens et valens quanto infirmior corpore, tanto fortior fit et potentior; non cessans agere digna memorie, et magna maioribus semper accumulans, que ipsi tacere scriptores respirant. Ego vero iam deliberare urgentibus infirmitatibus corporis mortis huius et nunc omnibus incipientibus habere responsum in me mortis, sentio instare tempus resolutionis mee plurimum que timeo, ne sero me peniteat tam diu distulisse; quod prius quam pessimum velim omnimodis pegisse. Ad et fratrum me quorundam pia benivolencia plurimum ad hoc compellit, et cohortatur, qui cum viro dei iugiter astiterant omnia eius noverunt, ingerentes quedam diligenti inquisitione investigata, et plura etiam quibus cum fierent ipsi interfuerunt, et viderunt et audierunt. Qui cum multa suggerant et preclara que per servum suum omnipotens deus temporibus presentibus operabatur, et nota eorum

religio. et schola magisterij ab omni me liberet suspicione falsi. adhuc etiam ad testimonium sibi asciscunt probabilium auctoritatem personarum. episcoporum. clericorum. monachorum: quibus fidem non habere nulli fidelium licet. Quamquam id superfluo dixerim. cum tota ea noverit mundus: et virtutes eius narret omnis ecclesia sanctorum. Quocirca attendens divine laudis amplificande materiam omnibus se offerentem. nemine vero suscipientem: dissimulantibus eis qui melius hoc ac dignius poterant. suscepi in ea agere ipse que potero. non vanitate confidentes: sed presumptione diligentis. Meminerit tamen memoriam mei in memoria ipsius. et ne memet ipsum comperans mihi: nequaquam totam vitam viri illius suscepi digerendam. sed ex parte. experimenta sibi et aliis viventis et loquentis in eo Christi. opera quedam exterioris cum hominibus conversationis eius. que de ipso noverunt quibus hoc datum est: et nos quoque experte vidimus et audivimus. et manus nostre contrectaverunt. Cum enim hoc ipsum ex magna parte de ipso sentiendum sit. quod de eo qui dicit: Vivo autem iam non ego vivit vero in me Christus et alibi. an mei experimentum queritis eius. qui in me loquitur Christus. non tam visibilem illam vitam viventis et loquentis in eo Christi enarrare proposui. sed exteriora quedam vite ipsius experimenta de puritate interioris sanctitatis. et invisibilis conscientie proposita interioris hominis ad sensus hominum exteriores incarnata: que sicut omnibus scire. sic etiam quibuslibet ut nunc scribere in promptu est: presertim cum non ipsa que acciderant dirigenda. sed latere in vivum congerenda. et reponenda suscepimus: non edenda ipso vivente. sic nec scribuntur ipso sciente. Confido autem in domino quod post nos et post obitum eius exurgent qui melius ac dignius perficient quod nos conati sumus. qui etiam sufficient exteriora interioribus comparare: et poterunt preciosam in conspectu domini mortem eius vite simul continuare scribendo. et de morte vitam. et de vita mortem commendare. Iam ergo adiuvante domino propositum aggrediamur.

Explicit prologus. Incipit liber primus in vitam sancti bernardi abbatis

Bernardus castellione burgundie oppido oriundus fuit paren